hominis nomen illud significat, quòd cætera quidem animalia quæ vident, non considerant, neque animaduertunt, neque contemplatur: homo autem, & videt simul, & contemplatur, animaduertitque quod videt. Hinc meritò *solus* ex omnibus animantibus homo ἄνθρωπος est nuncupatus, quasi ἀναθρῶν, contemplans, ἃ ὄπωπε, id est, quæ vidit.] Ab Etymologiste autem dicitur ita nominatus, παρὰ τὸ ἄνω ὁρᾶν, id est, à sursum aspiciendo: quomodo & phœnices intellectualia animalia Thophasunim vocant, id est, cœli conspectores, authore Sachoniato eorundem antiquissimo scriptore. Ouidius item apud nos ait,

Refert Euſebius lib. 1. de præp. Euang. c. 7.

Os homini sublime dedit, cœlúmque tueri Iussit.

Philo lib. quod deterius potiori insidiatur.

quod Philo pariter asserit, hominémque cum planta quadam cœlesti comparat, cuius radices cœlo fixæ sint, atque inde alantur; reliquæ verò partes, quæ à iudicio & ratione semotæ sunt, terræ magis adhæreant. Ex quibus tandem conficitur, vt, si quis cœlum non intuetur, nec diuina curat, neque, quæ oculis cernit, animo reputat, & expendit, is profectò, cùm mutarum pecudum tarditatem æmuletur, eo nomine indignus habeatur. Sed enim cùm nulla acies humani ingenij tanta sit, quæ ad primum conspectum. Quomodo angeli facinus, in rerum naturas penetret, nec item valeat, vt bruta solent, nuda rerum superficie absque intellectu exsaturari: hoc vnum relinquitur, vt si quispiam homo haberi velit, in inuestigatione veri, atque adeò rerum cœlestium contemplatione studiosè versetur. Hæc cùm ita sint, quales istos esse censemus, quorum ingens numerus terram occupat, qui opibus abundant, & optimis frugibus vescuntur, simúlque omnem voluptatem, quæ ex rebus creatis percipi potest, auidè exhauriunt; illius autem qui tanta beneficia præstet, ne nomen quidem inquirunt? Atqui, effectum aliquod intuenti, ea prima quæstio occurrit, quid causæ sit? An igitur inter pecudes connumerabimus, quas esse cognitionis expertes anteà diximus? An potius tria hominum genera statuemus, quorum spirituale vnum, inquit Valentinus, animale alterum, tertium autem carnale seu terrenum sit? Ex his spirituale quod est, sine labore & operibus, sola cognitione ex arcanis mysteriorum suorum verbis, salutem consequitur, animale iustis operibus: at carnales, quorum scilicet in numerum bardos illos atque hebetes referrent, cùm ad contemplandum non sint idonei, vindicari omnino non posse. Absit, vt cum hæretico vllo vnquam tempore sentiamus: neque enim vllum in hominibus naturæ discrimen admittimus: sed virtutis duntaxat, & vitiorum, aut etiam cognitionis atque ignorantiæ: neque alias causas agnoscunt, ob quas, alij quidem dij in scripturis appellentur, hoc est Dei similes, alij iumenta, & pecudes, quàm quòd ad priores Dei sermo factus sit, quemadmodum Christus testatur, posteriores eundem non intellexerint. Propterea enim iumentis similes sunt habiti. Quocirca etiam Dauid nos admonet: *Nolite fieri sicut equus, & mulus,*

Refert S. Epiphan. hær. 31. *Triplex hominum genus.*

Vitiis & virtutibus, non natura homines inter se differunt.

A *quibus non est intellectus.* Hominis namque est cuncta rimari, Deum autem præ omnibus, vt puta, qui sit eius opifex. Homo es, inquit Clemens Alexand. quare id, quòd est maximè commune, eum, qui te est fabricatus. Et paulò post: Quemadmodum equum nõ cogimus arare, nec taurum venari, ad id autem, ad quod natura aptum est, animal vnumquodque trahimus: sic certè hominem, qui natus est ad cœli contemplationem, vt verè est planta cœlestis, adhortamur ad Dei cognitionem, id quod est eius proprium, eximium & peculiare comprehendentes, simul, vt sufficiens sæculorum viaticum pietatem, & Dei cultum comparet, consulentes.] Nec quenquam ab ea lege eximit, aut contemplationis immunem esse permittit, tametsi diuersa studia diuersos sequi contingat, terram cole dicimus, si es agricola; sed cognosce Deum, terram colens: & nauiga, qui teneris amore nauigationis, sed cœlestem assumens gubernatorem: te militantem deprehendat cognitio, audi Imperatorem, qui tibi iusta significat.] Hæc Clemens Alexand. quibus iterum similia docet pædag. lib. 1. cap. 12. Verùm enimuero tametsi hominum pars maxima deliciis vacans, aut certè curis, ac sollicitudinibus obruta, vix aliquando è tenebris emergat, séque ad contemplandum conferat: ea tamen ab initio nobis proposita est, veluti scopus quidam vitæ, ad quem collimaremus. Quod probat, non modò quædam vis diuina animis nostris insita ad veritatis indagationem, sed etiam habitus ipse corporis, & series, atque ordo membrorum, & quod vltimo loco creatus est, reliquis iam tanquam in theatro ad ostentationem compositis. Nam quæ ratio alia esse potuit, cur totius mundi opifex illi creaturæ, quam primam esse voluit, postremò manum adhiberet, nisi quod cùm eam in orbis meditullio collocaturus esset, rerúmque suarum speculatricem habiturus, debuit eorum, quæ spectanda forent, ingentem syluam ante præparasse? Verùm hæc disertissimè Philo eo libro, quem de mundi opificio composuit. Qui figuræ etiam rationem copiosè explicat libro de plantatione Noë. Stirpes, inquit, deorsum merso fecit capite, infixas fertilissimis terræ matris partibus. Brutorum autem capita retraxit à terra, & summæ ceruici oblongæ aptauit, & pro fulcro pedes ei anteriores supposuit; solus homo eximium ornatum sortitus est. Cæterorum enim animalium ora deorsum flexit, quapropter ad terram prona sunt. Hominem contrà erexit, vt cœlum spectet, cùm sit non terrestris planta, sed cœlestis, sicut à priscis accepimus. Quorum alij particulam ætheree naturæ hanc asserentes, cognatione iungunt ætheri hominem: At magnus ille Moses, nulli creaturæ rationalis animæ speciem facit similem, quam inuisibilis Dei pronuntiauit imaginem: hoc ipso probam existimans, quòd essentiam formámque diuinitus impressam habeat, cuius character æternus sermo est. *Inspirauit enim*, vt inquit, *Deus in faciem eius spiritum vitæ.* Itaque necessum est, vt qui eum recipit, verbi creantis

Clemens Alex in exhort. ad gentes.

Nemo homo à conditoris sui contemplatione excusatur.

Quare homo postremo loco creatus est.

Philo lib. de plantatione Noë.

Humanæ figuræ ratio explicatur.